

DISPUTATIO JURIDICA,

De

TESTAMENTIS INFIRMANDIS,

Quam

FEHOVA

Triuno clementer annuente

Jctorum

Ampliss. facultate adficiente in Illustri Witteberga

PRÆSIDE

Consultissimo & Excellentissimo Viro

Dn. JEREMIA REUSNERO,

J. U. D. Prof. Publ. Electoralis Curia, Dicasterii &

Facultatis Juridicæ ibidem Adfessore, Præceptore, Pa-

trono & Promotore suo omni observan-

tiæ cultu prosequendo,

Publico examini subicit

CASPARIUS LÆLIUS LUB.

In Auditorio Jctorum.

Addiem 19. Julii, horis à 7. matutinis.

Præstantiss. & Politis-
simum virum - juvenem
Dm. Eberhardum Gualtherum
SS. LL. Studiosum ad dis-
quisitionem hanc thesimum
amicè invitab



WITTEBERGÆ,

Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,

ANNO M. DC. XXVII.

68.


83. 710

33.

M

13

3.



V I R O

Reverendissimo, Generoso, maxi-
meq; Strenuo,

DN. ÆGIDIO

von der Lancken /

Cathedralis Lubecensium

Ecclesiæ, ac nobilis Cœnobii in Pretze

Præposito, Illustrissimorum Holsatiæ Principum

supremo aulae Magistro & Consiliario meritissi-

mo, Præfecto Chilensi & Bordsesholm. Dno,

Mæcenati, fautori & promotori suo

observando,

Hoc exercitium juridicum

offert & dedicat:

Aut, & Resp.

84.
717

seu ut Ulp. in frag. §. 2. quib. mod. test. loquitur ex prima & secunda mancipatione manumissus in potestatem patris non revertatur. l. fin. C. de emanc. lib. l. ult. C. de adopt. & alias in omni fere jure observari convenit, ut veri patris adoptivus filius nunquam habeatur: ne imagine, naturæ veritas adumbretur. videlicet quod non translatus, sed redditus videatur. l. filio. 23. in pr. ff. de liber. & posth.

XII.

Restat itaque sola adoptio. §. rumpitur. 1. Inst. h. t. Vulteius lib. 1. Iur. Rom. c. 73. p. 343. actus ille legitimus. l. adoptare. 1. ff. de offic. jurid. l. actus. 77. ff. de R. I. naturam imitans. §. minorem. 4. Inst. de adopt. l. adoptio. 16. ff. eod. Cajus. lib. 1. Inst. tit. 5. in pr. inventus ad eorum solatium, qui liberos non habent. l. si paterfamilias. 15. §. 2. ff. de adopt. Theoph. in pr. Inst. h. t. Wesenb. in parat. ff. eod. n. 2. per quem assumimus personas extraneas in nostram familiam. Gellius lib. 5. c. 19. Jas. Maynus in addit. suis ad Christ. Porcium. Inst. de adopt. in pr. super gloss. in verb. adoptio.

XIII.

Ne autem hoc in loco quis impingat putando quamvis adoptionem esse modum infirmandi testamenta bene notanda erit ejusdem divisio, qua dispescitur in adoptionem specialem & arrogationem. §. adopt. 1. Inst. de adopt. l. 1. & 2. ff. eod. & illa rursus fit vel ab extraneo, vel aliquo ex ascendentibus. §. sed hodie 2. Inst. d. t. §. sed ea omnia. 14. Inst. de hered. quæ ab intest. Pone n. quod pater naturalis filium suum, quem in potestate habebat extraneo: id est, ei, in quo nulla jura naturalia, quæ ad patrem referantur, concurrant, in adoptionem dederit. Hic certè, licet adoptantis filius fiat adoptivus, acquiratque sibi jus succedendi ab intestato d. §. 141. Inst. de hered. quæ ab intest. l. cum adoptivis. 10. C. de adopt. Her. Vulteius. lib. 1. Iur. Rom. cap. 22. pag. 124. non tamen ex illo adoptionis actu transit in ejus potestatem, haud secus ac si ex rescripto principis aliquem adoptasset femina. atque ideo testamentum non rumpit.

XIV.

Hinc ergo infertur tale axioma: Quotiescumque adoptio ita instituitur ut tribuat jus suicitatis adoptato; toties rumpit
testa-

testamentum ante perfectum. *l. verum est. §. ff. de injust. rupt. & irr. test.* Tunc enim adoptans curare debet, ut filium adoptatum, heredem scribat, vel nominatim ex heredem faciat. Rolandinus Passag. *in suo tract. de test. & ult. volunt. Rubr. de legit. tantum lib. 17. p. 65. n. 8.*

XV.

Per posterius testamentum rumpitur prius, quando nimirum illud jure factum est. h. e. cum constat eas juris solemnitates esse in eo observatas, quæ alias ad constitutionem cujusdam testamenti requiruntur. *§. posteriore 2. Inst. h. t. l. 1. & 16. ff. de injust. rupt. & irr. test. l. 18. ff. de leg. 3.* Nuda enim testatoris voluntas non sufficit. *§. ex eo autem. 7. Inst. h. t. l. nihil tam naturale. 35. l. fere. 153. ff. de R. I. usque adeo, ut si quis post factum prius testamentum, posterius facere cœperit, & aut mortalitate præventus, aut quia eum ejus rei pœnituit, id non perfecit; Divi Pertinacis oratione cautum sit, ne alias tabulæ priores jure factæ irritæ fierent, quam sequentes jure ordinatæ & perfectæ sint. Licet enim hominis voluntas ambulatoria sit ad supremum usque Vitæ habitum *l. 4. ff. de adimend. leg.* ea tamen, quando testamentum rumpere debet, legitima ut sit necesse est, Broech. *cent. 2. misc. adfert. 11.**

XVI.

Non tamen opus est, ut solemne in scriptis factum, scripto, nuncupativum, nuncupando revocetur *arg. d. l. nihil tam naturale 35. l. fere. 153. l. nolumus 20. C. de testam.* Secundum quosdam DD. : nam & scriptum nuncupando coram septem testibus, & nuncupativum solemni scriptura revocari potest. *§. posteriore Inst. h. t.* Non enim alius Voluntatis modus est in scriptis, quam nuncupatione; saltem declarationis forma diversa est. Franc. Mantica. *lib. 2. conject. c. ult. n. 19. & seqq.* Heigius ex Baldo, Saliceto, Socino & aliis *ad. §. ex eo. 7. Inst. h. t. n. 7. & 8. Coedd. ad. l. intestatus. 64. ff. de VS. p. 658. n. 9 & 10.*

XVII.

Excipiuntur hic vulgo casus duo: Unus est de testamento militari: alter si in priore testamento scribantur heredes extranei &

nei & qui ab intestato defuncto successuri non essent: in poste-
riore autem illi instituuntur qui alioquin ab intestato, ut pro-
ximiores succederent. Joann. Schneidw. ad §. pen. Inst. h. t. p. 323.
n. 4. Borch. ad §. 2. Inst. h. t. n. 4. Nos rejecto superiori, tanquam
minus necessario, (numquid enim militare testamentum est im-
perfectum?) alterum applectimur: eumq; verum putamus, licet
posterius illud testamentum ob filii præteritionem sit minus le-
gitimum. l. 2. ff. de injust. rup. & irrit. test. l. 12. §. 1. ff. de bon. posses. cont.
tab. l. hac consultissima C. de test. Vigl. ad §. pen. Inst. h. t. Schneidw.
Heigius, Vulteijs ibid. n. 4. Lorient. ad tit. de injust. rup. & irrit. te-
stam. axiom. 12. Cujac. in l. 7. ff. de lib. præter. & l. heredes ff. q. test. sac.
poss. Arumæus exerc. 10. th. 10. Gothofr. ad l. 21. §. fin. C. de test.
Bronch. cent. 3. assert. 27. p. 59.

XIIX.

Utrum verò priori ita per posterius imperfectum rupto,
illi solummodo succedant, qui in posteriore scripti erant, an ve-
ro omnes proximi agnati & cognati, quæstio est inter DD. satis
dubia & intricata Helst. Ulricus Hunnius in collegio suo Inst. disp.
10. th. 7. p. 109. Sunt qui distinctionis fœdere rem componere
student. Sunt qui simpliciter negent. Verius tamen est, quod
& Harprecht Disp. Inst. 24. th. 9 placere video, omnes admitten-
dos. per textum in d. l. hac consultissima §. fin. ibi: non quasi testa-
mentum, sed velut Ultima quædam voluntas ab intestato. C. de
testam. Quid autem est ultima voluntas ab intestato? Nihil ali-
ud quam Velle eum eamve succedere, qui ab intestato succes-
suri essent, si nullum testamentum factum fuisset.

XIX.

Irrita fiunt testamenta, cum rebus omnibus aliis integris
in eum casum deveniunt, ut exitum habere non possint. Vel,
cum extra ipsius testamenti jus persona testamentaria, puta te-
statoris vel heredis aliquid accidit ex quo testamentum etiam
infirmari necesse est. Vult. in sua Iurupr. Rom. c. 73. n. 60. pag. 303.
& ad §. 4. Inst. h. t. n. 2. Schneidw. ad §. 4. Inst. h. t. n. 6. & hoc iterum acci-
dit duobus modis: aut enim testator patitur capitis diminutio-
nem,

B

nem,



nem, de quo jam dicto: §. 4. Inst. h. t. aut hereditas ex testamento non aditur l. 1. ff. de injust. rup. & irrit. test. Wesenb. in parat. ff. eod. n. 5. Heig. ad d. §. 4. Inst. h. t. n. 1.

XX.

Capitis deminutio nihil aliud est quam status permutatio. pr. Inst. de capitu demin. l. 1. ff. eod. Non enim hic propriè caput accipimus, pro ea corporis parte, à qua reliqui sensus & nervi omnes initium capere dicuntur, pro ut fecit quidam Instit. nostrarum interpres, qui cum ad hunc de C. D. tit. pervenisset, eum sic germanicè reddit: **Von des vorigen Hauptes Verminderung**, sed methaphoricè, pro statu seu conditione hominis civilis. l. 2. ff. de inter & relig. l. capitalium 28. ff. de poenis. Sic Cic. dixit integri capitis civem orat. in Pisonem. caput perere. pro L. Quintio. Et nostri sæpè servum caput non habere. l. 3. in fin. ff. de C. D. l. quod attinet 32. ff. de R. J. §. 4. Inst. de C. D.

XXI.

Ut autem homo tripliciter considerari potest: quatenus nimirum homo est, & civis, & paterfamilias. Joach. Hopperus. Matth. V. Wesemb. ad tit. 6. Inst. de C. D. Heig. ibid. unde sunt illa tria status capita: Libertas, Civitas, & Familia quæ Terentio hoc unico versiculo inclusit: Principio dico esse liberam, civem Atticam, meam sororem, act. 4. Scen. 7. Eunuch. ita etiam tres caput diminuendi species constituuntur. Amittimus enim aut omnia illa quæ jam enumeravi: libertatem, civitatem, & familiam, & est maxima capitis minutio. aut retinemus libertatem, cadimus tamen jure civitatis, & est media. aut deniq; infligitur minima, quod accidit his qui cum sui juris fuerint cœperunt alieno juri subjecti esse, vel contra. l. ult. ff. de C. D. & ff. Inst. eod.

XXII.

De duabus speciebus prioribus, quin testamentum reddant irritum, non est quod dubitemus. l. si quis. 6. §. 5. & seqq. Herm. Vultei in sua Iur. pr. Rom. c. 73. p. 343. n. 6. posterior autem recipit aliquam distinctionem. Mynsingerus ad §. alio autem 4. Inst. h. t. Heig. Schneidw. ibidem.

Dictum est th. XXI. in fin. minimam capitis deminutionem accidere his, qui cum sui juris fuerint, coeperunt alieno iuri subiecti esse; vel contra. Hoc quidem ut fiat operatur inter cætera adoptio & emancipatio: non tamen semper proficit ad testamentum infirmandum. Ad hoc enim ut testamentum aliquod fiat irritum requiritur ejusdem præexistentia. Accidens quippe nullum est cui non sit proprium aliquod subiectum. Taurell. 1. Alp. Cas. quest. 4. n. 20. Et ubi datur affectio, necesse est ut etiam detur affectionis illius subiectum. Picol. lib. de com. affect. c. 2. p. 301. Non potest autem præexistisse nisi persona testans sit habilis. Secundum enim naturam est ut causa impertiat effecto omnem suam vim. Scalig. exerc. 23. Habilis non est, qui adoptatur (specialiter) vel emancipatus nondum fuit paucis casibus exceptis. Fuit enim sub patria potestate quæ testamenti condendi facultatem impedit. pr. Inst. qui test. fac. non poss.

XXIV.

Sic ergo concludo, ut, quod ad hanc capitis deminutionem attinet, quæ in familiæ tantum mutatione consistit, qua mutata non etiam mutatur jus libertatis & civitatis, testamenta non fiant irrita, nisi sola arrogatione. l. conficiuntur §. si pater ff. de jure codicili. & præsuppositis præsupponendis ea adoptionis specie, de qua est text. in l. pen. C. de adopt. Herm. Vultejus. ad §. 4. Inst. h. t. n. 5. & 7.

XXV.

Hereditas ex testamento non acquiritur pluribus modis. Generaliter tamen quotiens heres scriptus non adiit, vel quia cum jure posset, noluit; vel quia, cum vellet, non potuit. §. cum autem §. in verb. destitutum & desertum. & aut quia voluit, & c. ubi Theoph. Inst. de hered. quæ ab intest. deser. §. quansitas 3. Inst. ad l. Falcid. l. filium 20. ff. de bon. poss. contr. tab. V. Velsenb. ad d. §. 8. n. 2. lit. b. & in parat. ff. de injust. rupt. & irr. fact. test. n. 5. Vult. d. l. n. 8. & in sua Jurispr. Rom. c. 73. n. 60. p. 343.

XXVI.

Modus infirmandi testamenta juris Prætorii est Bonorum possessio

possessio contra tabulas. Hanc definitio quod sit species quædam
bonorum possessionis. *S. sunt autem. 1. C. s. sed eas quidem. 2. Inst. de
bonor. posses. ex æquitate Prætoria competens liberis præteritis. d.
S. 1. Inst. de bon. poss. patronis. S. qua de causa. 1. Inst. de success. lib. et or. l.
si patronus. 2. ff. si à parent. quis man. sit. ad consequendum id quod
alias civilibus actionibus pro hereditate acquirenda compe-
tentibus heres consequi potest. l. per quam. 2. ff. de posses. hered. pe-
titio.*

XXVII.

Definitio hæc ut eò melius intelligatur, quatuor quam bre-
vissimè excutiemus: Primò quænam requirantur ut hæc contra
tabulas bonorum possessio competat. Secundò ad quid com-
petat, seu quisnam sit ejus effectus. Tertiò quam diu compe-
tat. Et denique quarto num aliquis ejus hodiè usus esse possit.

XXIIX.

Ad primum accedendo sciendum est duo requiri: Primò
ut testamentum aliquod sit factum, illudque defuncti mortis
tempore ita validum, ut ex eo hereditas aut adiri, aut bono-
rum possessio contra tabulas peti possit; quamvis neutrum eo-
rum postea securum sit, vel sequi potuit. Nam si vel omnes
instituti, substitutiq; ante testatorem decesserint, vel is scriptus
heres fuit, cum quo non est testamenti factio, petitio bono-
rum possessionis contra tabulas inanis erit, utpote quæ sine ef-
fectu foret. *l. quod vulgo. 19. ff. de bon. poss. cont. tabulas.*

XXIX.

Secundo, ut liberi, patroni, & parentes eo in testamento
sint præteriti. Liberi, inquam, præteriti, non exheredati. *l. non
putavit. 8. in pr. ff. de bon. poss. cont. tab.* quia non temerè voluit Præ-
tor rescindi tabulas testamenti cū justa esse exheredationis cau-
sa posset: itaque iis recurrendum ad aliud remedium. *V. Vesenb,
imparat. ff. de bon. poss. cont. num. 3.* Et quidem tam naturales quam
adoptivi. *l. in contra. 1. ff. h. t.* Sui & emancipati. *gloss. in S. sunt au-
tem. 3. Inst. de B. P. super verb. præteritis. & super verb. contr. tabulas.*
Vul-

87.
720
Vulceius *ibid.* & Heig. n. 14. l. 17. C. de collation. diverso tamen modo. Nam emancipati quidem liberi per hanc testamentum vere rescindunt, cum ab initio etiam jure Pratorio valuerit. Sui autem præteriti hoc remedio utentes, tantum id agere videntur quo nullum esse testamentum declaretur. Castrensi l. si filius qui in potestate ff. de liber. & posth. Mynsing. in §. eadem her. 12. Inst. de hered. que ab intest. defert. D. D. communiter in l. 2. C. de bon. poss. contr.

XXX.

Liberi itaque in potestate existentes, si à parente in testamento prætereantur duo habent remedia contra tabulas parentis: primum moribus introductum per quod possunt dicere testamentum ipso jure nullum. Secundum de Jure Pratorio, quo petunt testamentum rescindi per bonor. possessionem contra tab. fortasse ideò, quod modestius ac reverentius, erga parentum manes se gerere videantur, qui nolint parentis judicium tanquam parum sani vel impii uno verbo subvertere. Vigl. in pr. & §. ult. Inst. de exh. lib. Vvesenb. in parat ff. de bon. poss. contr. tab. n. 2. vel quia plerumque utilius est agnoscere hanc bonor. possessionem, quam testamentum nullum dicere. Schneidw. ad §. 1. Inst. de B. P. Mynsing. *ibid.* n. 1. & 2. lit. b.

XXXI.

Effectus hujus bonorum possessionis est; primò quod per eam rescindatur testamentum & res ad causam intestati, perinde ac si testamentum factum non esset, reducatur. l. ut liberi. 17. C. de collation. l. non putavit §. 1. ff. de bon. poss. contr. Heigius ad tit. 10. Inst. eod. n. 15. Id quod tamen in quibusdam personis limitari solet, quales sunt parentes & liberi utriusque sexus in infinitum, Uxor & nurus in causa dotis. His enim legata & fideicommissa omnino sunt præstanda à bonorū possessore, licet contra tabulas bonorum possessione testamentum rescissum sit. l. 1. 2. & 3. ff. de leg. præst. contr. tab. bonor. posses. petit a.

XXXII.

Deinde cum Prætor ad bon. possession. contr. tabul. emancipa-

B. 3.

cipa-

cipatos admittat, participesq; faciat, cum his qui sunt in potestate, bonorum paternorum consequens est, ut sua quoque bona in mediū conferant, paterna qui appetunt, id quod manifestam habet æquitatem, *l. hic titulus 1. ff. de collat. bon. in pr.* Nam sui quod acquirunt id Patri acquirunt, juxta quod est constitutum in *l. cum oportet. 6. C. de boni qua lib.* atque ita paternam hereditatem augent. Emancipati verò sibi habent & retinent quæcumq; acquirant; idque beneficio Emancipationis. Æquitati igitur naturali consentaneum est, ut si vellent pariter cum suis in hereditate succedere, ea bona, quæ si emancipati non essent, hereditati accessissent, in commune conferant.

XXXIII.

Terminum, quo hanc bonorum possessionis speciem circumscribi putem, annum statuo, eumque utilem, non continuum §. *in petenda. 6. Inst. de bon. poss. ff. l. utile. 2. in pr.* & §. *dies. 1. ff. quis ordo. in poss. observ.* motus hac ratione, quod in §. *quum igitur. 4. Inst. de B. P. & l. 1. §. 12 ff. de suces. edict.* dicitur: Liberis & parentibus tam naturalibus quàm adoptivis largius tempus. h. e. anni spaciū in petenda bonorū possess. esse tributum. cæteris a. agnatis & cognatis centum solummodo dies, in honorem videlicet sanguinis, quū arctandi non erant qui penè ad propria bona veniunt. Jam verò ex *th. 26. & 29. b. d.* notum est hanc bonorum contr. tabulas possessionem nemini, præter liberos, parentes & patronos, competere.

XXXIV.

Hodiè tamen cum supervacua illa anni utilis differentia à Rep. Romana separata sit. *l. supervacua. 7. C. de temp. in integr. rest.* plerumque pro hoc anno utili datur quadriennium continuum. Dionys. Gothofr. *ad l. non est. 66. in pr. ff. de ritu. nupt. lit. 2.* Joan. Schneidw. *ad d. §. 4. Inst. de bon. poss. quest. 1. n. 3. p. 456.* intra quod si aliquis bonorum possessionem petere destiterit, vel moriatur, heres ejus etiam descendens excluditur & deficientis pars alteri accrescit. §. *placebat. 7. Inst. de legit. agn. succ. §. & si intra. 5. Inst. de honor. poss.* Duarenus *de jure accrescend. cap. 18. & 20. lib. 2. Gæd. ad lex illa 227. ff. de V. S. p. 241.* 36. Uti-

Ad quartum & postremum respondeo affirmative. Esse scilicet eam utilem adhuc, non tamen necessariam. Cujac. in parat. C. de bonor. posses. contr. tabul. Herm. Vultei ad § sunt autem 2. Inst. de bon. poss. Joan. Oldend. clas. 5. act. 6. quæst. an hodie bon. possessio. recte peti possit. Ubi cum multa in hanc sententiam verba fecisset: Estne, inquit, honestum, ut heres quantumvis mero jure ad successionem vocatus adeat tamen magistratum, insinuet jus suum, exhibeat ei hunc honorem obsequiosa quadam reverentia? quum omnem animam sublimioribus potestatibus subditam esse oporteat. Rom. 13. Si est honestum: certè satis utile & necessarium ut maneat talis forma inter actiones. Et paulo post hæc superiora explicans: Non loquor, inquit, de necessitate simplici, per quam agere quis cogitur.

XXXVI.

Utilis est, quia, cum de acquirenda hereditate quaeritur liberalius cum bonorum possessore prætor, quam cum heredibus jus civile agit. Hoc enim jure qui in aliena sunt potestate, hereditatem sibi delatam adire non possunt, nisi jussu eorum præcedente in quorum sunt potestate. Illo verò ignorantibus iisdem, & sufficit rati habitio l. i. C. qui admitt. ad bon. posses. l. qui in aliena. 6. in pr. & §. 1. si quis mihi. §. jussu ff. de acquir. hered. Heig. ad tit. Instit. de bon. posses. Utilis est quia jus adeundi 30. annis præscribitur & illud tempus est continuum & currit ignorantibus. l. licet. junct. gloss. in verb. cogi. C. de jure de liberandi. Si igitur fuerit exclusus de jure civili potest post 30. annos de jure Prætorio intra annum adhuc petere bonorum possessionem. Quia illud tempus contra ignorantem non currit. l. utile ff. quis ord. in poss. bon. l. 2. l. quamdiu. C. qui admitt. ad bon. posses. non poss. Jason super Rubr. C. eod. Schneidw. ad §. fin. Inst. de bon. posses. n. 18. p. 457. Utilis est, quia quamvis de jure Civili hereditas per procuratorem adiri non possit. l. per procuratorem, 90. ff. de acquir. hered. l. Pannonius 86. ff. eod. Horom. lib. 2. amic. resp. c. 34. Cujac. lib. 1. obs. c. 34. Donel. lib. 7. comm. c. 8. Bronch. cent. 3. assert. 37. tamen bonorum posses.

possessionem Pratoriam possim per procuratorem petere. l. 3. §
acquirere. l. servus 77. de bon. possess. Grass. §. bonorum possess. quest. 5.
Sichard. ad Rubr. C. qui adm. ad bon. possess. Sunt adhuc plures casus
quibus nostra sententia confirmatur, quos brevitatis studio
nunc lubens prætereo. Si quis eorum cognitionem expetit. con-
sulere potest D. Conrad. Schleif. illust. not. in paratit. VVesenb.
parte. 2. p. 53. & 54. & alios DD.

XXXVII.

Necessaria non est, quia, quibus Prætor olim hac bono-
rum possessione succurrebat, iis nunc alio remedio subventum
est. Nec quicquam contra nos facit Bartol. in auth. ex causa. C.
de liber. præter. qui distinguit inter filium emancipatum simplici-
ter præteritum, & eum qui adjecta causa ingratitude; ita ut
illum ad instar sui testamentum jure Civili nullum dicere posse
arbitretur. in hoc vero quo minus jus antiquum obtineat nihil
impedire. Quod enim pace tam incomparabilis viri dictum
volo, præterquam quod talis cum causa præteritio: prætereo te,
quia vitæ meæ insidiatus es, quam proximè ad exheredationem
accedat, certusque testis sit testatorem de exheredatione cogi-
tasse. l. si quis. 3. C. de lib. præter. Viglius ad §. emancipatos. 3. Inst. de ex-
hered. liber. unde etiam non pauci, iisque magni nominis DD.
hujusmodi præteritum, pro exheredato habendum censuere,
nec ad prætoriam bon. cont. tab. possessionem admittendum.
Sed debere ad querelam confugere; manifestò infringitur hac
distinctio per Novel. const. 115. quæ indistinctè neminem tam ex
parentibus, quam liberis prætereundum permittit. Lege igitur
non distinguente, nec nostrum est distinguere, quemadmo-
dum habet communis DD. sententia, & probatur in l. de pretio.
l. ff. de Publ. in rem actio. & tantum quoque de altero modo te-
stamenta infirmandi.

XXXIIX.

Tertius qui restat est querela inofficiosa. Non enim erat
consentiendum parentibus, qui injuriam adversus liberos suos
testamento inducebant, quod plerumque accidit, dum nover-
calibus

89. 722
calibus delinquentis instigationibusve corrupti malignè circa sanguinem suum judicia inferunt. l. 4. ff. de inoff. test. Cœperunt itaque homines hac de re tanquam satis impia incerto primum jure apud judices suos conqueri. Valer. Maximus. lib. 7. c. 7. petereq; ut testamenta ea, in quibus se injustè exheredatos vel præteritos cernerent, rescinderentur. Quod cum sæpius fieret, nec æquitate destitueretur, abiit paulatim in mores, donec ll. tandem & constitutionibus confirmatum, & ut nunc est in formam suam est redactum. l. 5. in pr. l. 24. ff. de inoff. test. Vigl. ad §. tam ætem. 2. Inst. eod. n. 6. Donell. lib. 19. com. c. 4. p. 272. Arumæus, exerc. 10. th. ix. & in disp. ff. 7. th. 19. Forst. disp. 13. th. 20.

XXXIX.

Hæc querela, ut ad rem redeamus, est imploratio officii judicis, qua quis accusat testamentum, quia se illo contra officium pietatis & sine justa causa, aut exheredatum dicit, aut præteritum, petitque illud ut injustum rescindi. Bart. post gloss. in l. posthumus. §. 1. n. 3. ff. de inoff. test. & in l. 3. §. si minor. n. 2. & 3. ff. de jurejur. gloss. Jason & alii in Rubr. C. eod. Wesemb. in parat. ff. b. l. n. 4. Heig. ad princ. Inst. n. 2. Mynsing. n. 5. Inst. de I. T. Hunnius disp. 10. th. 11.

XL.

Petitio hereditatis nonnunquam cum hac in uno libello cumulatur. l. qui de inofficioso 2. ff. de in off. test. l. 1. 15. 17. 34. ff. eod. Neque sanè hoc novum est, nec ad minuendas lites inutile, ut una cum actione, seu imploratione officii rescissoria simul adjungatur, quæ post rescissionem erat competitura. Frustra enim in plura judicia dividitur, quod uno expediri potest. Jason. in §. rursus n. 85. 86. Inst. de actionibus. Wes. in parat. ff. de inoff. test. n. 5. Myns. ad pr. Inst. eod. n. 6. Duaren. in comment. ff. eod. c. 2. Arumæus exerc. 10. th. 14. Differunt tamen à se invicem, ut actio ad exhibendum & rei vindicatio. l. Papinianus §. 16 l. 15. §. 1. l. 17. l. 25. ff. de I. T. Sichard. ad l. 1. C. eod. n. 6. in fin. Arumæus d. l. Schneidw. in pr. Inst. b. l. n. 10.

C

41. Per-

Obstare v. l.
modum, 7. ff.
testam. ubi ff
Definitur.



XLI.

Permissum est, non tantum liberis utriusque sexus, masculis & foeminis. l. 1. §. 1. ff. de l. T. l. 7. 22. 15. C. eod. naturalib. & legitimis, h. e. ab ascendendibus adoptatis. §. tam. autem 2. Inst. h. t. l. 8. §. 15. l. 29. §. 3. ff. eod. l. pen. C. de adopt. querelam hanc in officiosi intendere, sed etiam liberorum parentibus § non tamen. 1. Inst. h. t. l. 1. l. pater. 14. l. adversus 30 ff. eod. Quamvis enim non debeat parentibus filiorum hereditas propter votum paternum & naturalem erga filios caritatem: turbato tamen ordine mortalitatis non minus parentibus quam liberis pie relinqui debet. l. nam es si 15 ff. de inoff. test.

XLII.

Fratres & sorores utrinque conjuncti; vel saltem consanguinei. (uterini enim, qui eandem matrem & diversos patres habuerunt, caeterique ulterius cognati melius facerent, si se sumptibus inanibus non vexarent. l. fratres. 27. C. b. t. cum obtinendi spem non habeant. l. sciendum. 1. ff. de l. T. l. 21. C. eod. Wesenb. in par. ff. eod. n. 6. & ad §. 2. Inst. n. 1. lit. c. Mynsing. nu. 11. Heigius nu. 5. Inst. eod.) non admittuntur nisi turpibus personis institutis. §. 1. Inst. h. t. l. 21. l. 17. C. eod. Conan. 9. comment. 9. Duarenus c. 8. ff. de l. T. Costal. ad l. 1. ff. eod.

XLIII.

Spurius, cum nihil admiserit, unde sibi aliqua turpitudinis nota inuri possit, non habetur pro turpi persona. Ex fornicatione enim nasci non est culpa nascentis, sed generantis. c. nasci. 6. distinct. Infamia autem & turpitude proficiscitur ex propriis actionibus. l. cognitionum. §. §. 1. ff. de extraord. cognit. & poena debet tenere suos authores. l. sancimus. C. de poenis. Licet negari non possit aliquid maculae ei inhaerere. Recte enim de hujusmodi liberis alicubi scripsit Augustinus: Bene, inquit, est liberis, quibus nec de matre erubescendum, nec de patre dubitandum. Palaeor. in tract. de spur. c. 55. & seq. Thoming. in dec. illustr. quest. 48. n. 30. & seq. Hart. Pistor. lib. 1. quest. 30. Cagnol. in l. 1. n. 14. ff. de inoff. test. Sim. de Prat. de interp. ult. volunt. l. 3. interp. 1. dub. 3. solut. 2. n. 11. Roland. consil. 87. l. 3. Harpr. part. 1. disp. 25. th. 8. Matth.

2. obs. 88. Myns.
obsero. 31. Speck
1. qst. 47. n. 10.

Matth. Stephani. cent. 2. q. 81. Fachin. 4. com. 93. Forst. disp. 13. tb. 10.
Hunnus. disp. 10. tb. 20.

XLIV.

Cessat hac imploratio aliquot modis. Quinque tantum
melioris lucis ergo huc apponam. Primo non habet locum,
quando quis alio jure ad hereditatem defuncti totam vel par-
tem ejus venire potest. §. tam autem 2. Inst. de I. T. Est enim que-
rela extraordinarium quoddam remedium. Heig. ad d. §. num. 2.
Mynsing. in pr. n. 5. Schneid. n. 3. Inst. eod. Vetus autem est juris re-
gula, quod cum ordinario jure & communi auxilio uti quis pos-
sit, non sit deveniendum ad extraordinarium auxilium l. & ele-
ganter. 7. ff. de dol. malo. præsertim si sit odiosum. l. in causa 16. ff. de
minorib. Ut est querela. l. maximum. C. de lib. præter. Myns. ad d. §.
2. Inst. h. t.

XLV.

Secundo, si legitima relicta sit, vel tota. l. 8. §. 6. ff. de I. T. §.
fin. Inst. eod. vel aliqua ejus pars. §. 3. Inst. h. t. l. omnimodo. 30. l. 36. §. 1.
C. eod. titulo institutionis. Novel. 115. §. aliud quoq. Ut cum de appel.
cognosc. tanquam honestiore l. filium q. 5. §. sed etsi portio ff. de leg.
præstand. & propter jus accrescendi utiliore. Nam si filio institu-
to coheres sit datus qui repudiet hereditatem, ejus portio jure
ad crescendi filio adjicietur. Quod si filio legati titulo quippi-
am relinqueretur, nihil ei accresceret: cum inter heredes tan-
tum, non etiam legatarios jus ad crescendi locum habeat. D. D.
planè. in l. 2. C. quando non per. partes. Bart. in l. quoties C. de hered. inst.
& auth. Noviss. C. de inoff. test. Iason in d. auth. C. b. t. nu. 13. Gilken.
ibid. Gomez. 2. variar. resol. 11. n. 24. Duaren. in comment. ff. de I. T.
cap. fin. in fin. Mynsing. ad §. fin. Inst. eod. Wesenb. in parat. ff. eod. n. 6.
Vigl. ad d. §. fin. Inst. h. t. Grass. ad §. legitima. quest. 35. n. 3. Ubi vide
catalogum DD. qui pro hac opinione pugnant. Tunc enim tuto
quis testari potest, & agitur ad supplementum, ne naturalis ve-
recundia fines transilientur. Bernh. Wurms. lib. 1. obs. tit. 39. 9.
Hartm. Hartm. ab Eppingen. lib. 2. obs. tit. 43. 6. n. 11.

XLVI.

Legitima olim indistincte erat quarta pars hereditatis. Paul.

C 2

lib. 4.

V. Gaic. 2. ob.
et 2. obs. 120.

90
723
vms habet: v
bis em juncto
in fin. ff. de
pbr l. un. §. 10.
Si quidam ex
de caduc. l. 10.

lib. 4. Sentent. c. 5. l. Papinianus. §. 6. & 8. ff. de l. T. l. cum queritur. 6. & 8. C. eod. §. fin. Inst. eod. Hodiè triens vel semis secundum numerū liberorum. Nam si quatuor sunt liberi, vel pauciores, tertia pars hereditatis, si quinque sint, aut numero plures, dimidia debetur in legitimam, juxta Novell. 18. c. 1. de triente & semisse. auth. novissima. C. de l. T. & hos duos versiculos:

Quatuor aut infra dant natis jura trientem,

Semissem verò natis dant quinque vel ultra.

Bernhard. Würmser. lib. 1. tit. 39. obs. 11. n. 1. Quod augmentum etiam in parentum legitima admitto; Ad quousque? Ad trientem scilicet, non etiam ad semissem: quia numerus sic in parentibus non reperitur, ut in filiis. gloss. in l. Pantonius. ff. si quis à parent. manu. fuerit. gloss. in auth. de trient. & semis. §. in verbo: hac observando gloss. in auth. de non elig. secund. nubent. §. cum igitur. Paul. de Castr. in auth. ex causa. C. de liber. prater. col. 6. Hart. Hart, ab Epping. lib. 2. obs. tit. 43. 6. n. 5. 6. & 7. In fratribus diversum constitutum est gloss. in d. auth. novissima ad verb. titulo circa fin. & ibi Laso. n. 35. & 36. Bald. in l. fratres 27. n. 9. & 10. C. de l. T. Ripain rubr. solut. matr. n. 44. Alexand. conf. 10. vol. 1. Wes. ad §. fin. Inst. de l. T. Gilken. ad auth. novissima. C. eod. Cujac. ad Novel. 18. Harpr. disp. 25. th. 16. dit. 0. Treutl. vol. 1. disp. 13. th. 13. Heig. ad §. fin. Inst. h. t. n. 8. Arumæus exerc. 10. th. 21. Hunnius disp. 10. th. 24.

XLVII.

Tertiò non auditur, quando quis semel repudiavit querelam vel ei renunciavit. l. qui repudiantis. 17. l. nam etsi. 15. §. 1. ff. de l. T. l. si quis filium. 34. in fin. C. eod. VVesemb. in parat. ff. eod. n. 6. Joan. Schneidw. ad §. fin. Inst. eod. Ibi enim locum habet, quid alias à DD. dici solet: Remittentibus actiones suas, non est ad easdem dandus regressus. l. queritur. 14. §. 2. ff. de adilit. edict. l. 1. ff. de pat. l. 20. in fin. l. 22. ff. de minoribus. l. si maritus. 15. §. 5. ff. ad l. Iuliam de adult. l. qui destiterit. 2. ff. ad SC. Turpill. l. postquam. 4. C. de pactis. Et alias noti Juris est, quod eam quis ambulare viam debeat, quam semel cepit. arg. l. ei qui. 88. ff. de hered. inst. l. sicut major. 4. C. de rep. vel abstinend. hered.

Cujac. ad Nov. 18.
Factin. 4. Contr.
28.

Quartò nec ei accusandi potestas est, qui sui nomine, volens agnovit testamentum, aut voluntatem testatoris approbavit, accipiendò legatum sibi relictum. *l. si pars judicantium. 10. §. 1. l. nihil interest. 12. l. filius. 22. ff. de I. T.* præstando patricium his qui agunt ex testamento ad legata præstanda. *l. si exhereditus. fin. ff. eod.* Agnovisse enim videtur qui quale quale iudicium defuncti cõprobavit, ut ibid. subjungitur. Aliud dicendum est, si quis coactus alieno nomine quid faciat, unde testatoris voluntas quodammodo approbata esse videri posset: qualis casus proponitur in *S. si tutor 4. Inst. h. t.* in tutore, qui sui pupilli nomine legatum ex testamento parentis sui, à quo injustè exheredatus erat, petiit.

XLIX.

Quintò extinguitur querela, si is, cui ea competit, taceat per quinquennium post aditam ab herede scripto hereditatem. *l. scimus 36. §. fin. l. si quis filium 34. in fin. C. de I. T. Bald. n. 2. & 22. Jason. n. 18. in auth. Ex causa. C. de lib. præter. Bald. consil. 89. proponitur. volum. 5. & consil. 112. Paul. volum. 5. Wesenb. in parat. ff. de I. T. n. 6. 7. & 10. Repudiatum n. creditur quod intra præscriptum, tempus non est acquisitum. Dyn. ad cap. ratihabitionem. n. 5. 6. & 7. de reg. juru. 6. quanquam in actione illa, qua agitur ad supplementum legitimæ aliud observetur. Hæc enim perpetua est, h. e. durat 30. annis. Bald. Jason. in *l. si quis filium 34. C. de I. T. n. 24. & 25. Guid. Pap. dec. 82. Ripa in *l. ult. C. de revoc. donat. n. 235. Decius consil. 303. Boer. decis. 250. n. 1. Grammat. decis. 103. n. 46. Gomez. Variar. resol. tom. 1. c. 11. n. 23. Myns. 2. observ. 72. Gail. lib. 2. observ. c. 120. n. 7. VVes. in parat. ff. h. t. n. 7. & ad *S. tam autem. 3. n. 8. lit. o. Hotom. 5. obs. 11. Ideò fortè, quod non, ut querela inofficiosi, testamenta destruat: qua ratione etiam constitutum videmus, ut actio redhibitoria sex duntaxat menses duret, cum tamen Quanto minoris elapso demum anno tollatur. *l. sciendum. 19. §. 6. ff. de edilit. edict. & ibi Gothofr. l. 38. in pr. ff. eod. l. 2. in fin. C. eod.*****

L.

Quando verò competit, datur adversus heredes, atque ita post



post aditam hereditatem. l. Papinianus §. ff. de I. T. l. 36. C. eod. l. 20.
vers. sed eum. ff. de poss. bon. contr. tabulas. scriptos vel nuncupatos. l. 15.
§. fin. l. 17. 24. 29. §. fin. ff. h. t. l. 31. C. eod. directos vel fideicommissa-
rios. l. 1. C. h. t. ubi Sichard. n. 5. cujuscunq; tandem sint dignitatis
vel conditionis. l. 8. §. 2. l. pen. §. de I. T. Conan. 9. com. 8 n. 11. VVe-
senb. in parat. ff. h. t. n. 9. etiam eos, qui heredis locum obtinent. l. si
pars. 10. l. 29. ff. h. t. hoc colore quasi non sanæ mentis testa-
tor fuerit. pr. Inst. de I. T. l. hoc colore. 2. ff. eod. Fulgos. ad auth. ex
causa. C. de lib. prater. Baro. Viglius. Mynsing Heigius ad d. pr. Inst.
h. t. Treutl. disp. 13. th. 6. vol. 1.

LI.

Effectus est, ut probatâ per heredem causâ ipsi testamento
à testatore insertâ. l. 30. C. h. t. Novell. 115. c. 3. Aretinus. in l. 3. §. fili-
us. col. 2. ff. de lib. posthum. Alexand. in auth. ex causa. col. pen. C. de lib.
prater. Covar. in cap. Rainutius. n. 7. de testam. Fachin. lib. 6. controv.
cap. 76. testamentum declaretur inofficiosum, rescindaturque,
quod hodiernum jus attinet, quoad institutionem, reliquis te-
stamenti articulis salvis. Auth. ex causa. C. de lib. prater. Novell.
115. c. 3. ut cum de appel. Geil. 2. obs. 113. Menoch. 2. arb. jud. quest. 147.
VWesenb. in parat. ff. h. t. n. 11. Hotom. obs. 26. Coraf. 1. indag. 13. Al-
ciat. 4. parerg. 9. Govean. in l. 1. ff. de Vulg. & pupill. subst. Bronch.
cent. 3. assert. 29. Quam enim injuriam quis conticuit, eam remisit-
se præsumitur. arg. l. 30. vers. nam si nullam. C. de inoffic. testam. l. fin. C.
de revocand. donat. l. 5. c. famul. erciscund. Neque licet defuncti hæ-
redibus eos ingratos nominare & hujusmodi quæstionem in-
ducere, quorum, ut ingratorum mentionem testator non
fecit. d. l. 30. C. de I. T. gloss. Ripa. n. 237. Curt. ad d. l.
final. C. de revoc. donat.

SOLI DEO GLORIA.

92
725

Ad
Prestantissimum, ac Politissimum Dn. Respondentem, Ami-
cum & fautorem suum optimum.

CASPARUS LÆLIUS

καὶ ἀναγεγραμμένον
PASSU JURA CALLES.

Gens Poetarum vetus Entheco
Impetu pollens, HELICONIS oræ
Cui favent, nec non CLARPO Therapnæ
Cura Parenti.

Cui suis mentem Generosa technis
Imbuit PALLAS, TRIAS alma stricto
Juncta complexu lepidis adauxit
Corda Repertis:

Finxit HERCÆUM Solio sedentem
Regio, divum numero recinctum,
Et THEMINE finxit sociam Cenzi
Fædere Lecti.

Finxit & DICEN simul assidentem
Sedibus gnatam patriis & HORAS
Virgines, pacem nitidam SORORES,
EUNOMIEN q̄;

Scilicet LEGES voluere JOVÆ
Conjugem sacras, ope cujus equum
Prodit, & justum seriemque longum
Ducit in ævum.

Quam CYPARISSUS velut, ociosum
Nesciens ignem studet irreverso
Prosequi cultu, petit & lacertis
Quisquis apertis:

Hunc vident HORÆ faciles, Diesq;
Hunc vident multâ gravidi salutes
Hunc habet PACIS renuens procellas
Aura frementes.

TE



Te vident ergò, videantq; LÆLI
HORULÆ fausta, niveisque SOLES
Vultibus clari, peragasque vitam

Pace cluentem.

Est DICES verus, THEMIDOSq; fervor,
Motibus DIVAS petis irretortis
Indolem nullus Pateris veterno

Rumpier atro.

Est Panomphæas tibi cura sedes
Ire lustratum, sitis est supremæ
Sacra virtutis colere, & togatæ

Pallados artes.

Perge divinum studium, beato
Perge, mi LÆLI, feriate celo

JURA, quæ CALLES iterata PASSI

Pectoris acri.

Sic eris DICES decus æviternum,
Juris & Mythes, eris ipse CHIRON
Alter, & recti studiosus alter

Boccyris ipfus.

Magna constabit tibi fama, magnis
Ut dein verè potes vocari
Magnus, & tollent tibi sempiternum

Postera Nomen.

Ἰὼς φιλίας, ἠγὼ τῶν ἐνέμοι

scribat

Gerbardus Ligarinus Norda-Fris.

L.L. Stud.

FINIS.

ET

V 517

ULB Halle


3


002 673 282



TA → OL







libr.
DISPUTATIO JURIDICA,
De
TESTAMENTIS
INFIRMANDIS,

Quam
FEHOVA

Triuno clementer annuente

Jctorum

Ampliss. facultate adficiente in Illustri Witeberga

PRÆSIDE

Consultissimo & Excellentissimo Viro

Dn. JEREMIA REUSNERO,

J.U.D. Prof. Publ. Electoralis Curia, Dicasterii &

Facultatis Juridicæ ibidem Adfessore, Præceptore, Pa-

trono & Promotore suo omni observan-

cia cultu prosequendo,

Publico examini subjiçit

CASPARIUS LÆLIUS LUB.

In Auditorio Jctorum.

Addiem 19. Julii, horis à 7. matutinis.

Præstantiss. & Politis-
simum virum - juvenem
Dm Eberhardum Dufwald
SS. LL. Studiosum ad dis-
quisitionem harrum thesium
amicè invitab



WITTEBERGÆ.

Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,

ANNO M. DC. XXVII.

68.

